



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis

Musart, Charles

Monachii, 1654

III. De materiâ & formâ, probabili, dubiâ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41616

stitutionem Christi, aut intentionem Ecclesiæ: id enim etiam necessarium est; & licet Parochis non facile desit intentio, saltem implicita, & virtualis; consultius tamen est, excitare actua- lem intentionem, & deuotionem cum breui aliquâ oratiunculâ, quantum tempus patitur, præsertim antequam Confessiones audias.

Ad hæc caue maximè, ne vnquam peccati mortalis conscius Sacramen- ta, quibus administrandis sacris ordi- nibus es initiatus, administres: ingens enim hoc piaculum foret. Quare priùs confitere, aut saltem contritio- nem elice. Singulare tamen est ex præcepto Tridentini, vt ante sacrifi- cium propter sumendæ Eucharistiæ dignitatem, confessionem præmittas, si potes, & conscius sis peccati mortalis.

NVM: III.

De materiâ, formâ, caeremoniis.

C7

In

IN vnoquoq; Sacramento materiam,
& formam adhibe certam, quoad
fieri potest: Si certam nequis, saltem
probabilem: si neq; hæc suppetit, ad-
hibe dubiam, sub conditione tamen,
vt minimùm animo retentâ. Quòd si
deinde aliquid certius nancisci possis,
eo vtere, sub hac conditione, si priùs
non valuit: quod maximè locum ha-
bet in baptismo, & in pœnitentiâ mo-
ribundorum, propter maximam ne-
cessitatem.

Deniq; caremonias præscriptas in
libro Rituali, de quâ re paulò pòst,
ritè obserua, etiamsi ad valorem non
requirerentur; obligant enim, & qui-
dem grauiter, si notabiliter faciunt
vel ad dignitatem Sacramenti, vel po-
puli instructionem; neq; ratio ab iis
adhibendis hîc & nunc excuset. Qua-
re ex Rituali lege, quæ legenda sunt,
distinctè, clarè, deuotè, ne memo-
ria fallat: quæ verò agenda sunt,
etiam decorè, ne assistentes offendas,
Habi-

Pars secunda. 63

Habitus sit decens, & Sacerdotalis:
Locus communiter sacer. Si Sacra-
mentum aliò deferendum, id age re-
uerenter: indecora est nimia festina-
tio; si tamen necessitas vrgeat, quan-
tum opus est, non tantum curre, sed
vola. Cum Eucharistià festinandum
lentiùs in publico; nunquam autem
opinor incidet tantæ festinationis
causa, vt non liceat vestem clericalem
saltem iniicere, ne vt seminudus, vel
semifatuus prodire debeas: si quem
ex vrgenti maturatione offendi ad-
uerteres, causas ede, vt mirari desinat.

NVM: IV.

*De Stola, sine Stipendio ob Sacramenti
administrationem.*

Q Vibusdam in locis vetatur, ne
ob Sacramenti administrationem
aliquid directè, vel indirectè exigatur,
ad tollendam Simoniacæ labis, vel
saltem auaritiæ suspicionem. Alicubi
istud permittitur, quantum scilicet vel
lege,